

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illvstri Regi Francorvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

potuisse transire , & ipse de injusta ejec-
tione sua coram nobis pluries querimo-
niam replicasset , & in locum suum resti-
tui postularer instanter , tandem pro eo
dilecti filij Capitulum & universus Cle-
rus Horitan. suas nobis litteras destina-
runt , ipsum velut Episcopum suum re-
mitti postulantibus ad Ecclesiam Horitan.
cum plenitudine potestatis , & nobis
etiam humiliter supplicarunt ut daremus
in mandatis eidem quod dignitates &
jura Ecclesiae Horitan. illibata confer-
vans , in ea chrisma conficiat , & Cleri-
corum ordinationes necnon & solennes
festivitates ibidem non postponat alter-
na vicissitudine celebrare . In qua peti-
tione Horitanæ Ecclesiae nequaquam
duximus annuendum , immo eam pror-
sus decrevimus repellendam , cum sta-
tum possessionis Ecclesiae Brundusinæ
sine cognitione nolimus per alicujus astu-
tiam immutari . Verum quoniam quere-
las præfati electi sèpius iteratas nequi-
vimus surdis auribus pertransire , tam ei
quam Ecclesia Brundusinæ , prout justi-
tiae tenor expostulat , providere volen-
tes , universitati vestræ per apostolica
scripta mandamus quatenus eo reducto
in eum statum in quo erat quando rece-
dit ab Ecclesia Brundusina , ei aut procur-
atori suo de pontificalibus iustitiis ple-
nè respondere curetis , & ipsi , tanquam
pastori vestro , devotè atque humiliter
obedire ; ut cum destitutus ante restitu-
tionem juxta legitimas & canonicas san-
ctiones accusari non debeat , ne status
tam Ecclesiae quam persona sine pericu-
lo diutiùs maneat in suspenso , restitu-
tione præmissa , si quis voluerit & value-
rit , in accusationem ipsius rectè proce-
dat . super quo tam vobis quam ipsi Do-
minicam qua cantatur *Lectare Hierusalem*
proximè venturam terminum affi-
gnamus . Noveritis autem nos venerabi-
li fratri nostro Cuperfanensi Episcopo
in mandatis dedisse ut si vos juxta man-
datum nostrum ei nolueritis obedere , vos
ad hoc per censuram ecclesiasticam ap-
pellatione remota compellat . Datum
Laterani XVI. Kal. Ianuarij.

Illi scriptum est super hoc.

CAPITVLO ET CLERO
Horitanensi.

Epiſt. 247. **N**untios &c. usque ad verbum obe-
dire . Ideoque universitati vestræ

per apostolica scripta mandamus quate-
nus ei jura pontificalia , debitam etiam
reverentiam & obedientiam , sicut Prä-
lato vestro , exhibere minimè postpona-
tis . Noveritis autem nos &c. ut *suprà*.
Datum ut *suprà*.

MAGISTRO HENRICO
Archidiacono Clasensi.

Iustis petentium desideriis &c. usque
Epiſt. 248. ad verbum assensu , personam tuam
cum omnibus bonis tam ecclesiasticis
quam mundanis &c. usque ad verbum sus-
cipimus . Specialiter autem archidiacono-
natum Clusiensem cum omnibus pertinentiis suis , sicut illum justè possides &
quietè , devotioni tuae auctoritate apo-
stolica confirmamus &c. Nulli ergo &c.
Si quis autem &c. Datum Laterani
XVIII. Kal. Ianuarij.

HILARIO ARCHIDIACONO
de Quiz.

Cum à nobis petitur quod justum
est &c. archidiaconatum de Quiz ,
cum omnibus pertinentiis suis , sicut ip-
sum justè possides & quietè &c. ut *suprà*.
Nulli ergo &c.

MAGISTRO HENRICO
Canonico Ecclesie sancti Michaelis
Ultrasylvanensis.

Cum à nobis petitur &c. usque ad
Epiſt. 249. verbum annuentes , præbendam Ec-
clesiae sancti Michaëlis Ultrasylvanen-
sium cum omnibus pertinentiis suis , sicut eam
justè & quietè possides , auctoritate tibi
apostolica confirmamus , & præsentis
scripti patrocinio communimus . Nulli
ergo &c. Siquis autem &c. Datum La-
terani XVIII. Kal. Ianuarij.

ILLVSTRI REGI FRANCORVM.

Nuper ad nos carissimus in Christo
filius noster A. Rex Hierosolymitanorum
illustris suos cum litteris nun-
tios destinavit , per quos miseras & ne-
cessitates terræ orientalis , quæ gravio-
res & plures sunt solito , nobis exposuit ,
& festinatum subsidium postulavit . Cum
enim pauci sint ibi ad custodiā terra
relicti , quæ ferè nunc tota peccatis ex-
gentibus est viris & viribus spoliata , nisi
eis fuerit citè subventum , tam terra
quam populi periculum formidatur ,
quod ex discordia Saracenorū , qui
se ipsos impugnant , viderur Dominus

Epiſt. 251.
Ut Regi Hiero-
solymitano
contra Sarra-
cenos auxilia
mittat , & Ge-
nerum Impera-
tori scribat ut
ab intestinis
contra Chri-
stianos bellis
abstineat .

haec tenus misericorditer impedit. Si vero antequam redeant ad concordiam, congruum subsidium mitteretur, speratur pro certo quod facile posset hoc tempore Hierosolymitana provincia liberari. Sin autem prius redierint ad concordiam quam subsidium destinatur, timetur ab omnibus quod residuum terrae de facili debeat obtinere. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur in Domino, & in remissionem in jungimus peccatorum, quatenus sicut Christianissimus Princeps, cuius obsequium Iesus Christus in tanta necessitate requirit, ad subsidium terrae sanctae diligenter ac potenter intendens, universos crucifignatos de terra tua transfretare non solum moneas, sed compellas, & tu ipse ad defensionem terrae ipsius competentem in expensis tuis dirigas numerum bellatorum, quasi decimas saltatem Christo persolvens, ita quod ex hoc divinam gratiam possis pleniū promereri. Quod si forsitan multitudo in brevi transfretare non poterit, aliquot saltē milites armis, equis, & aliis bene muniti quam citius dirigantur, qui in ejus defensione usque ad aliorum adventum humiliter & devotè persistant, & eam ab incuria hostium tueantur. Considera, fili carissime, considera diligenter, quod si Rex aliquis temporalis de terra sua dominationis ejectus, in captivitatem forsitan deveniret, nisi vassalli ejus pro liberatione regia non solum res suas exponerent, sed personas, nonne cum restituueretur pristina libertati, & acciperet tempus justitiam judicandi, infideles eos & proditores regios & velut laſe maiestatis reos damnabiles reputaret, & quosdam eorum damnaret fūpendio, quosdam mucrone feriret, & excoxitaret etiam mortis haec tenus inexcogitata tormenta, quibus malos male perderet, & in bona eorum fideles aliquos subrogaret? Nonne similiter Iesus Christus Rex Regum & dominus dominantium, cuius te servum esse non negas, qui & corpus & animam tibi contulit, qui te suo sanguine pretioso redemit, qui regnum tibi concessit, qui & vivere tibi contulit & moveri, & universa quæ habes bona donavit, cum nihil habeas quod de ipsius munere non acceperis, de ingratitudinis vitio & velut infidelitatis crimine te damnaret, si ei ejecto de terra quam pretio sui sanguinis comparavit, & à Sarra-

cenis in salutiferæ crucis ligno quasi captivo detento, negligeres subvenire? cum etiam si quondam ei tam in te quam in tuis potenter subveneris, quia tamen nondum est liberatus, & omnia bona quæ habes, ipsius possideas dono collata, in districto novissimæ discussionis examine, quando reddet unicuique secundum opera sua, te coram eo non posses aliquatenus exculare, nisi ei curaveris in tantæ necessitatis articulo subvenire. Mittimus autem ad te nuntium Regis ipsius, qui serenitati tuae plenius orientalis provinciæ necessitates exposat, & te reddat de omnibus certiore. Quia vero Constantinopolitanus Imperator adversus eundem Regem procedere occasione Cypri minatur, vel dirigere contra eum exercitum copiosum, & vires ejusdem Regis non suppetunt ad defensionem Hierosolymitanæ provinciæ, nedum quod eidem Imperatori valeat obviare, volumus nihilominus & monemus quatenus eidem Imperatori litteras tuas sub eo tenore transmittas, ut in hoc articulo tempestatis & necessitate totius populi Christiani non molestet Regem eundem, cui deberet potius subvenire. Addas etiam, quod si super hoc preces tuas duxerit audiendas, apud nos precibus instare curabis ut ei faciamus justitiam exhiberi, & tu nihilominus partes tuas efficaciter interponas. Nos etiam ad eundem Imperatorem propter hoc specialiter curavimus nuntium destinare.

In eundem ferè modum scriptam est super hoc illustri Regi Anglorum.

LITERÆ LEONIS REGIS
Armeniorum ad Papam Innocentium.

R Everendo in Christo Patri & Domino Innocentio Dei gratia Summo Pontifici & universali Papæ, tanto talique honore dignissimo, Leo per eandem & Romani Imp. gratiam Rex Armeniorum, Romanæ Ecclesiæ honorē & excellentiam pro posse promovens, grata servitia, & pedum oscula. Quoniam fides apostolica omnium penè pullantium necessitatibus occurrit, ab omnibus filiis pro defensione domus Israël labores & sudores patientibus tanquam ad maternæ viscera consolationis concurrit, ut ab ea lac parvulis, solidus cibus ablactatis pro necessitate ministretur

Epist. 151.
Apostolicum
auxilium im-
plorat.
Vide Gesta
Innoc. III.